



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Synodi Celebratæ sub Carolo Magno, & alijs Imperatoribus vsque ad  
Henricum IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

## SYNODI

Celebratae sub Carolo Magno, & aliis Imperatoribus vsque ad Henricum IV.

**S**ub Carolo Magno aliquam multae Synodis recitantur celebratae: veluti Francofurtensis, Hallensis, Aquisgranensis, Compostellensis, Parisiensis, Bauarica Saleburgensis, Moguntina, Remensis, Turonensis, Cabilonensis, Arelatensis, Triburiana, & ad villam Theodonis, in Ducatu Lutzenburgico. In Francofurtensi Synodo, Anno 794. disputatum est contra imagines, ita vt fuerit anti Synodus Nicenae II. lam enim à Gregorii Magni Pontificis tempore discussio gliscebat de cultu imaginum in templis. Alii tollendas & confringendas: alii pro libris Laicorum retinendas, alii etiam adorandas esse contendebant. Legatur Epistolum Gregorii ad Serenum, Episcopum Massiliensem, de Imaginibus in Ecclesiis non confringendis. *Regist. lib. 7. Epist. 109.*

Nec multo postea disputatio in grauissimum exarsit dissidium Græcorum & Latinorum: celebratis hinc inde variis modo pro veneratione, modo contra venerationem Imaginum Conciliis. Durauit Imaginarium illud bellum annis prope centum, tandemque Occidentem ab Orientis Imperio diuulsi.

Anno 816. Synodus Aquisgranensis celebratur sub Ludou. Pio Imp. item Ticinensis: & sub eodem

codem anno 824. Wormatiensis, Anno 829. Moguntina & Parisiensis.

Anno 835. Synodus Aquisgrana ab officiis remouet, atque exiliis mulctat eos, qui conspirauerant in depositionem Ludouici Imperatoris.

Anno 848. Rabanus Maurus, iussu Lotahrii Imperatoris, & Ludouici Regis Germaniæ, indixit Synodum Moguntia, in qua Godescalcum presbyterum, tanquam hæreticum, de libero arbitrio, prædestinatione, & sanguine Christi male sentientem, refutauit.

Anno 853. Celebratur Synodus Romana, ad instaurandam disciplinam Ecclesiasticam.

Anno Domini 855. Ludouicus II. Ticini Synodum indixit, de statu Ecclesiæ.

Eodem anno Synodus Constantinopolitana egit de coniunctione Ecclesiarum Orientis & Occidentis.

Anno 864. celebratur Synodus Metensis, & Aquisgrana. In illa Thierberga, vxor Lotharii, Regis Lotharingiæ, arcetur a matrimonio, & pœnitentiæ subiicitur: In hac Lotharius accipit ius ducendi aliam vxorem.

Anno 865. Synodus Romana damnat acta Synodi Metensis & Aquisgranensis.

Anno 866. Synodus Francica iubet Lotharium cum vxore legitima reconciliari, sub pœna excommunicationis.

Eodem anno Synodus Constantinopolitana approbat cultum imaginum, sub Michaele Im-

per. præsentibus legatis Nicolai Papæ: & quod Ignatius iuste amotus, & Photius recte surrogatus sit, decernit. Nicolaus vero Papa in Synodo Romana rescindit acta Synodi Constantinopolitane, quod quædam contra principatum Romani Pontificis erant inserta.

Anno 868. Synodus Wormatiensis edidit symbolum & Canones 80.

Anno 870. Synodus apud Acciniacum coerceset *πα'ρ' ρηοίαν* Hincmari, Archiepiscopi Rheimensis, qui scripserat contra Cæsaro-Papatum Romanum.

Anno 870. celebrata est Synodus Constantinopolitana, quam aliqui octauam vniuersalem nominant: Imp. Basilio Patre, & Constantino ac Leone filiis. Omnes ibi obligantur ad obedientiam Romanæ sedis, subscribentes intromittuntur: recusantes, cum ignominia foris relinquuntur.

Anno 861. Synodus Coloniensis, recitatis epistolis Pauli ad Timotheum & Titum, sacerdotes & Episcopos auaros, Veneri ventriq; deditos, ignominia notauit, & tribu mouit.

Anno 876. Celebratur Synodus Pontigonensis, præsentem Imper. Carolo: in cuius actione prima disceptatum est de primatu Ansegisi, Senensis Episcopi.

Anno 878. Synodus Trecanensis excommunicat eos, qui in Italia occupauerant loca Ecclesiæ Romanæ.

Anno 888. Synodus Moguntina exigit decimas, sub pœna excommunicationis, & coniu-  
gium

gium presbyterorum æque ac fornicationem, damnat

Anno 900. Rauennatensis Synodus acta Stephani VI. Papæ publice omnibus spectantibus cremat, & acta Formosi Antipapæ probat.

Anno 905. Duæ Synodi Gallicanæ habentur Rhemis de bonis Ecclesiasticis.

Anno 916. celebratur Synodus Altheimensis.

Anno 927. Duisburgensis Synodus congregata fuit.

Anno 935. Magna Episcoporum & Abbatum Synodus Erfurdix in Thuringia celebrata fuit. Verum causam nemo refert. Tanta fuit Historicorum inertia & socordia.

Anno 943. celebris fuit Synodus Bonnæ, sub Othone I. Imp. sed neque causam, neque euentum eius indicant Historici.

Anno Domini 962. Otho Magnus Imp. Synodum habet Romæ, qua deponitur Iohannes Duodecimus Papa, quod iuramentum Imperatori præstitum non seruasset, aureas cruces & calices scortis distribuisset. Electus itaque est Leo VIII qui Othoni, eiusque successoribus, facultatem dedit ordinandi Pontificem, & eligendi successorem.

Iohannes vero congregat Romæ Antisynodum, & Leonem anathematizat. Iohanne Duodecimos, è rebus humanis sublato, cum Romani Benedictum elegissent, Imperator Ro-

mam rediens in Synodo restituit Leonem, Benedicto in exilium relegato Hamburgum.

Anno 967. Otho Imper. Romæ, Iohanne XII. in sedem reposito, Synodum celebrauit, in qua urbem Romam, & exarchatum Rauennæ Papæ reddidit.

Anno 975. Synodus Vintoniensis in Anglia afferit coniugia Sacerdotum.

Anno 1002. Henricus II. Imp. in Synodo Mertenfi arguit Episcopos, quod non improbassent coniugium Conradi Austrasiorum Ducis, cum Mathilde, sanguine sibi proxima.

Anno 1016. Idem Imperator Aquisgrani indixit Synodum, vbi tractatum fuit de Rep. pacanda, & ira Dei placanda per ieiunia, solennes eleemosynas, & similia.

Anno 1017. Synodus Nouiomagensis deliberauit de instauranda religione.

Anno 1046 Synodus Sutrii, consensu Imper. Henrici III. elegit Clementem I. tribus Pontificibus profligatis. Ibi iureiurando obstricti Romani, vt à Pontificum electione in posterum abstinerent. Sutrio Romam venientes, Clemens consecratur, Henricus Imperatoriis insignis decoratur: tum ad Ecclesiæ reformationem, quæ per 200. annos ægrotare dicebatur, conuertitur, & in Synodo improbant nundinationem sacrorum Ordinum.

Anno 1048. Henricus III. Imper. in Synodo Mersburgensi tractauit de electione Papæ & collatione Episcopatum in Germania.

Anno

Anno 1050. Synodus Moguntina, præfente Imperatore Henrico III. prohibuit Simoniam, & coniugia sacerdotum; & statuit, ne clerici alant canes aut aues ad venationem, neue secularia negotia, & turpia luera exerceant.

Anno 1050. Synodus Vercellensis damnauit sententiam Berengarii, qui transubstantiationem in Missa negabat. Variæ Synodi hinc inde de hac controuersia institutæ sunt à Leone IX. & aliis Pontificibus Romanis.

IMPERATORES ROMANI AB  
Henrico IV. vsque ad Carolum V.

**H**ENRICUS IV. Imp. cum Pontificibus Romanis, Gregorio VII. & aliis, varia certamina subiit: cum Saxonibus bellum gessit, ab iisdem accusatus apud Pontificem, excommunicatus, & in locum eius susceptus fuit Rudolphus Sueuus, cui Papa Gregorius VII. coronam misit, cum hac inscriptione: *Petra dedis Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Vnde ingentia certamina sunt orta: donec Rudolphus aliquot præliis fractus, dexteram manum à Godofrido Bullionæo sibi præcisam, tandemque vitam cum magna pœnitudine amisit. His malis accesserunt & alia: cum maxime filii Henrici V. aduersus Patrem nefaria conspiratio, à Pontifice & eius affeclis constructa: quas omnes calamitates innumeras prope, annis 50. exantlatas, excepit Imperatoris Henrici IV. extrema